

49

Omnibus Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis. Pacoslavus dictus iunior, Dei miseratione palatinus Sandomiria, post huius vite curricula misericordiam consequi Salvatoris. Quoniam que gerunt in tempore, ne labantur cum tempore, poni solent in lingua testium, et scripti memoria confirmari. Ideo vestre universitati dignum duxi intimare. Quomodo in presentia mei Dominus Sulislavus canonicus Sandomiriensis, vendidit pro tredecim marcis puri argenti, Domui Dominici sepulchri de Miechow, partem hereditatis sue, que spectabat eum in villa que dicitur Czircowic, cum consensu omnium filiorum suorum, videlicet A. et B. et aliorum iuniorum, et ne per processum temporis aliquis scrupulus litigii super hoc facto ab heredibus predicto Domui sancti sepulchri possit exoriri, in irritationem prenominate venditionis, ipsam sigilli mei appensione roboravi. Testes vero qui eidem venditioni interfuerunt sunt, quorum nomina subarantur. Comes Marcus castellanus de Radome, Sudo castellanus de Wognie, Lassota frater palatini, Petrus Dobeszowic, Sulislavus iudex palatini Joannis camerarius, dominus Miculus filius Woyslavi, Rizerus sacerdos, Sulislavus capellanus palatini, Jacobus pincerna, Aronec iudex de Radom, Nicolaus Venceslawic, comes Nicolaus filius Choczamiri, comes Crestarvi de Balacow, Vilhelmus clericus, Joannes sacerdos de Stareskow, magister Albertus.

Monastica.

bertus. Actum ab incarnatione Domini, mille=  
simo ducentesimo trigesimo tertio. Datum  
Parszestovia mense februario.